

Letter 431: [1530/31, Strasbourg], Capito to N

The undated draft of this memorandum, in Capito's hand, is in Basel UB, KiAr 25a, 138. It is printed in QGT 7:284–288, no. 233.

An furore potius quam pietate perciti supplicia perferant anabaptiste queritur.

Deprehensi nuper sub ducatu Wirtenbergensi omnis aetatis et utriusque sexus anabaptistae varia maluerunt supplicia subire quam verbis duntaxat agnoscere errorem, conditione hac adiecta, ut nihilosecius quod sibi videretur crederent. Tanti ne mendaciolum, quod scientibus asseverandum fuerat, ut mors fatentibus quod senserant, vitae sum tali mendacio coniunctae sit praeferenda.

Deinde, Bavarie dux linguam credentis prohibet, mentem credulam non prohibet, et tamen ad exitium furiosa loquacitate ruunt.

Postremo qui his diebus Heidelbergae ad supplicium procedebat, per Frechtum amica actione non potuit adduci, ut, affirmato libere Christo, recantando baptismum suum, extran[e]um elementum mundi, vitam redimeret: iisdem argumentis instructo atque adornato per Frechtum barbaetonsori se praebuit persuadendum.

Quo videtur quam oderint prolixum vestitum et prodigi sint vitae, argumenta perspicua sane incomparabilis furoris, si illi creditur, qui haec affirmavit.

Censura mea.

Anabaptistas errare graviter puto litere quam spiritui addictiores, maximeque offendere temeritate adversus quemlibet pronuntiandi, qui ipsorum lotionem improbaverit; et tamen fateor ingenue in plerisque extare signa timoris domini et veram deditorem adeoque zelum fuco nescium. Quid enim emolumentum exilio, tormentis, infandis suppliciis carni sperare possunt? Testificor coram deo me non posse dicere amentia potius quam divino spiritu vitam negligere hanc presentem. Non est furor, nihil temere, nihil iracunde; sed cum iudicio et tolerantia stupenda mortem oppetunt confessores nominis christiani. Hoc vitii priscis martyribus tributum, quod criminosa pervicacia carnifices provocent: in Cypriano de libellaticis, in Tertulliano de milite coronam cum vitae periculo recusante, in refugientibus tribus digitulis paululum thuris prunis ante simulacrum positae iniicere. Quis supererit locus Christum profitendi aperta hac negandi Christum fenestra! Expendendum autem quid sibi velit: Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc praedico, quid adhuc persecutionem patior? Abolitum est igitur offendiculum crucis. Et rursus: Quicumque volunt iuxta faciem placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, ne ob crucem Christi persecutionem patiantur. Preterea quod Paulus obiter ingressis falsis fratribus et exploratoribus libertatis, quo christianos in servitutem redigerent, ne ad tempus quidem cesserit per subiectionem, quo veritas evangelii permaneret apud suos, simili modo cedere charissimi animo meo fratres, utut errant in ceteris nequeunt, ne sibi ipsis Christus adimatur. Nam apostolo circumcisione ociosus fit Christus; his nostris ipsorum sententia, negato baptismo, prorsus negatur.

Audita enim praedicatione testimonioque Christi per nuntios recepto sese dediderunt Christo, in cuius fidem postea baptisati sunt. Quo ordine baptismus illis non est nuda ceremonia, sed obligata Christo fides atque obsequium cum attestazione apud sodales suos, parituros se deinceps monentibus et in horas spectare velle tempus, quo sanguine ac vita testificandum. Aut enim labefactata fide, discrimine praesente negant quod animo sentiunt, aut exposita in mortem anima inflexibiles perstant. Nihil enim tertium est, postquam assuet[i] sunt baptismo mortificationem carnis referri. Nam reclamant eis animus huiusmodi: "amor tui in causa est, quod

de more tuo decedis,” quoties abiurant veritatem, quam essent liberi facti neutiquam abiuraturi. Confirmat eos, vel in speciem scripturae testimonium, usus apostolicae ecclesiae, mysterii et signi convenientia atque veritas, sodalium innocentia et sedulitas vivendi Christum, nostra in varias partes disiectio et inconstantia, negligentia emendandae vitae, tam privatim quam publice, supparasitatio et collusio cum seculi hominibus, quibuscum tot flagitiis aequiores sumus, quam tanto studio emulantibus vitam Christo dignam. Nam nemo non christianus nobis, qui ministerio nostro subscribit, nemo contumeliis acrius incessitur quam qui non omnia tollit laudibus. Quo fit, ut obsecundantes temporibus duris ferme penitent, et pena, ceu Christum ipsum negassent, flagitium inter suos expiant, in posterum multo constantiores futuri.

Summa est: Auspicium a verbo crucis pro carne mortificanda fecerunt et vite verbum in resurgente ac regnante Christo nonnihil degustarunt. Inde deditio secuta et baptismus pariter symbolon ipsis resignati, imo insiti in mortem Christi animi. Proinde censeo intuendum in cor eorum et donum dei ingenue agnoscendum, quo sunt adversus carnem et satanam communiti, quatenus ad curam vitae suae pertinet. Iterum dico: errant; ἀλλὰ ρηθέν, ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορεῖσθω. Satis enim apostolo fuit, ut imbecillibus sua mens cuique satisficiat, sive diiudicent sive non diiudicent diem: alterum enim manifestum tenetur erroris. An queso exagitandi contumeliis qui sub Machabeis praelium inire saba[to] per errorem recusantes extincti sunt, an non potius fidei robur ferendum laudibus quo praediti erant? Verum licet iudicii tenuitatem deplorare, quod tanta pectora deserit, sicut in nostris martyribus anabaptist[icis] mecum deploro. Non vitupero, quod timore domini ceu vincti, ad supplicia destinantur, alioqui nostrae ignaviae blandiremur, qui cum tanto iudicio male, vereor, iudicium spiritus totum obliteramus. Quam humanae literae divinae gratiae et verbi Dei cursui reclamant nos, facile experimur. Neque illud de nihil est: “Non multi sapientes secundum carnem.” Transformat enim lectio mentem natura sequacem sententiis mollioribus in humanitatem et lenitatem facile. Hoc detrimenti et nos hactenus studio literarum fecimus. Subsidiaria sacrarum literarum opera in speciem tamen coloramur non nihil, sed inanes succo et sanguine pietatis. Nam quis ardor mortificandae carni incumbet, carnis consilia, cum assensione subinde, pertractantibus nobis? Neque ferme orandi necessitatem serio cernimus, nisi talibus adversariis et plebis nostrae motibus exerciti, securi nimium.

Filius hominis est dominus sabati, sed ceremonia sabatum est. Illis autem hominibus baptismus non est ceremonia, sed sigillum, obsignatio, testimonium, fedus bonae conscientiae, qua nimirum anteambulonem fidem et voluntatem obsequii ad imperium spiritus respicit. Neque tinctioni tribuunt, sed referunt sibi mysterium, quam sine mysterio nunquam consyderant, sicut nos literas verbi dei sine eterno dei verbo consyderandas negamus. Complectuntur, ut semel dicam, adventum fidei et gratiae signo baptismi, quem alioquin contumeliam deo interpretantur.

Nesciunt enim sua simplicitate, quae natura distincta sunt, separare, cum scriptura iungantur passim, et sensu percipiunt sibi baptismum non ceremoniam, sed mysterium esse novi testamenti, carnis suae mortem, vitam spiritus resascentiae per celestes aquas praesentem imaginem, postquam fides natura praesentia facit omnia.

Adde quod simplicissimi quique enecentur, quorum anteacta vita commendabilis est. Nam suos habent incitatores, qui sibi cavent in tempore. Vita morosa et difficilis nemini nisi vitiis, etsi molestus semper carni est convictus spiritualium. Quos dixero igitur furorem moriendi ob Christi testimonii studium, quam video tanti esse illis conscientiae Dei indulsisse? Sunt enim ad veritatem eruditi, non ad simulationem. Serium est illis quod de tradendo se Christo vulgus iactat; inde auspicium illis re ipsa, quo verbis alii segniter anhelant. Tam frigida quibusdam penitentiae sermo torquetur ex ore, ut cerneret aliud animo destinasse et tantum servire tempori.